



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*FIDELES ECCLESIALIS***SANCTAE ELISABETHA THURINGA, PATRONA PRINCIPALIS, ATQUE**

SANCTUS BONIFATIUS, EPISCOPUS ET MARTYR, ET SANCTUS CHILIANUS

PATRONI SECUNDARII APUD DEUM DIOECESIS ERFORDIENSIS CONFIRMANTUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Fideles ecclesialis communitatis Erfordiensis, a Nobis nuper constitutae, sanctam Elisabetham Thuringam, atque sanctum Bonifatium, episcopum et martyrem, et sanctum Chilianum clara veneratione prosequuntur, atque its impetrantibus caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Quam ob rem Venerabilis Frater Ioachimus Wanke, Episcopus Erfordiensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem sanctae Elisabethae Thuringae in Patronam principalem, atque sanctum Bonifatium, episcopum et martyrem, et sanctum Chilianum in Patronos secundarios apud Deum dioecesis suae peregit rite, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum factis a Nobis facultatibus hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctam Elisabetham Thuringam, Patronam principalem, atque Sanctum Bonifatium et Sanctum Chilianum, Patronos secundarios apud Deum dioecesis Erfordiensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis nec non in Instructione «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, indicantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Septembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana